

Johann Jakob a Liliis¹⁾ an Vadian.

Paris. (1519.) October 7.

Übersendung des versprochenen Schweizerdegens.

Ioannes Iacobus a Liliis, Lucernus, Ioachimo Vadiano,
præceptori suo, salutem.

Accipe hilari fronte, doctissime Vadiane, xeniolum hoc, minime tuis in me meritis paria faciens — neque hoc tantillo venor —, sed utcunque benevolentiam ac observantiam meam erga te contestans. Quid? Tamen cavillettur quispiam homini literato cum gladio — Minervæ suem! — non sine causa, ut qui iam patriæ diis auspiciis præclaro^{a)} matrimonio, quo nec gratius nec lætius quicquam hoc temporis mihi accidere potuisset, devinctus et oppignoratus, non minus armis et manu, quam consilio ac prudentia adiuvaré ac consulere necessum habeas. Optime vale, eximium patriæ decus, ac me, quo nec amantior nec observantior tui quisquam est, tua auctoritate commendes. Parisiis.

Festinato, Nonis Octobris.

Carissimo ac undecunque doctissimo Ioachimo Vadiano,
præceptori suo, Tiguri agenti.

a) „e“ für „æ“.

1) Vrgl. ob. Brief 40, nach dem sich auch das Datum des vorliegenden ergänzen lässt.